



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

2. De nominibus varijs, quibus in sacris litteris commendatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

*De nominibus varijs, quibus mortificatio
diuinis litteris commen-
datur.*

Diuinae scripturae consuetudo est, vnam eandemque rem admodum salutaris sit & necessaria ad salutem, multis varijsque appellare nominibus: itaque & mortificationis virtutem, quam constat esse utilissimam & saluberrimam non vno nomine expressit. Nam vt omittamus nomen ieiunij, de quo iam dictum est, vocat eum primò *Odiu* *suissius*, quod Christus nobis commendauit illis: *Qui odit animam suam in hoc mundo vitam æternam custodit eam.* Vbi anima carnalis, ex vnione animæ cum corpore resultantem. Hanc ergo anima qui odit, non quoad naturam, quæ bona est, sed quoad carnales & vitiosos affectus, eam in vitam æternam custodit. Qui odit aliquem, ei negat bonum quod vellet, & malum confert, quod non vellet. Sic, qui odit partem sentientem & carnalem; quæ omnium prauarum cupiditatum seminarium est, negat illi

Joan. 18.

commoda & voluptates carnales, quas inordinatè expetit, subtrahendo cibum, ludos, recreationes, eamque castigat cilicijs, disciplinis, alijsque pœnis, quas naturaliter odit. Et quoniam hac sancta exercitatione homo pœnitentiam agens animam purgat à vitijs, & locupletat virtutibus & vitæ æternæ meritis, non modò quoad partem intelligentem, sed etiam sentientem ipsius corporis, quod resuscitabitur gloriosum, idcirco Dominus dicit, eum, qui in hunc modum odit vitam suam, custodire eam pro vita æterna, hoc est, tanto afficere bono, quo maius in hac vita dari non potest.

Secundò eam appellat *Abnegationem*, ut cum Christus dixit, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me* Tunc abnegamus aliquem, cum ab illo nos separamus, eum nihili facimus, eiusque voluntati parere nolumus Abnegat ergo semetipsum secundum dictum Christi, qui propriæ voluntati, sua tantum commoda quærenti, & parti animæ sentienti, quæ tantum sectatur quæ carni placent, omninò renuntiat, ac idcirco nec prosperis rebus carni cedentibus exultat, nec aduersis deiicitur, sed tantum

Luc. 9.

I tum

*Basil. in reg.
fus. disp.
quest.*

rūm laborat, vt diuinæ voluntati sequatur, vt bene declarat beatus filius: *Abnegatio sui*, inquit, aliud est, quàm præterita vite obliuio, & propriarum cupiditatum depulsio. Obliuionem pellat omnium rerum mundanarum contemptum: ipsa autem cupiditatum depulsio vel compressio non est aliud, quàm ipsa mortificatio.

Matth. 10.

Vocat deinde *Crucem*, secundum illud dictum Christi: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est meus discipulus.* Sed duplex est crux: Vna, quæ conficitur ex materia mortua ligni, vel metalli, quæ est effigies sanctissime crucis. Hæc deferre & vanerari tanquam imaginem Christi in ea crucifixi, non est mortificatio Christiano admodum difficile, & de hac cruce sermo non est. Alia est ergo crux viua, hæc est, quæ in materiam viuam, nempe carnem & vitam nostram imprimitur, quæ consistit in perferendis rebus asperioribus ad imitandum Christum saluatorem, & hæc nomine mortificationis conuenitur. Verum notandum est hanc mortificationem nonnunquam prorsus esse inuoluntariam, & tunc ea homo non mortificat, sed potius ab alio mor-

ficatur, nec tunc accipit crucem, sed
 potius fugit. Quando autem volun-
 taria est, hoc est, quando homo spontè
 in se suscipit, quæ inclinationi natura-
 li sunt aduersa, vt pœnitentias & opera
 charitatis, in quibus scit opus esse la-
 bore & patientia, tunc verè mortificat
 se, & crucem amplectitur. Eodem per-
 tinent morbi à causa etiam naturali
 orti, contumeliæ, iniuriæ, verbera
 ab inimicis illata, si illa æquo animo
 tolerantur, tanquam è manu Dei pro-
 fecta, qui primus est omnium ma-
 lorum penè auctor. Meritò autem
 mortificatio nomen crucis sibi ven-
 dicat; Quemadmodum enim cruci
 affixus non potest nec manus, nec pe-
 des mouere; sic qui se mortificat, non
 potest commouere sensus, aliasque
 facultates partis sentientis, secundum
 illius partis cupiditates, sed tantum
 secundum voluntatem Dei, præce-
 ptorumque & consiliorum diuino-
 rum. Atque hoc est quod Paulus ipse
 de se confitetur, dicens: *Christo confi-*
xus sum cruci, hoc est, ad imitationem &
similitudinem Christi. Vnde mox sub-
ijcit: Vivo ego, iam non ego, viuit verò in me
Christus: neque enim in desiderijs &
actionibus suis exercendis cupidita-

Gal. 2.

tes suas, sed solam Christi voluntate
ducem sequebatur.

Matth. 11.

Mortificationis quoque necessi-
tatem Christus expressit nomine viole-
ntiæ, dicens: *Regnum cælorum vim patitur
& violenti rapiunt illud.* Violentiam
ferre alicui, est facere contra incli-
nationem eius naturalem, vt cum saxum
proiecitur sursum, aut aduerso flumine
nauigatur. Natura nostra per peccatum
corrupta aspirat ad honores & vo-
ptates: si quis ergo eam ad contra-
rium sui, & dura perferenda inflectit,
vim ei inferre dicitur. Quemadmodum
autem causa naturalis, si ab homine
contra inclinationem naturalem mu-
ueatur, dicitur vim passa: secus,
Deo. (omnes enim res creatæ præ
inclinationem particularem, veni-
unt sibi aliam quandam aptitudinem
quam vocant, potentiam obedientiam
lem, qua sponte parent imperio
creatoris, vt paruit olim mare
brum & Iordanis in transitu filiorum
Israel) sic mortificationis exercitium
si respiciamus ad inclinationem natu-
ræ corruptæ hominis, violentum quæ-
dam dici poterit, sed non item, si
voluntatem liberam eiusdem cum vo-
luntate & consilio diuino se confor-

mantem. tunc enim consentit cum inclinatione supernaturali vñctione gratiæ Spiritus sancti animo indita, quæ facit, vt sine difficultate, imò cum gaudio sustineat ea, quæ naturæ erant difficillima. Id significauit Isaias Propheta, cum vaticinatus de Christo dixit: *Erit in nouissimis diebus Isaiæ 2. preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Mons hic Christus est, sanctitate, omnique virtute ornatissimus supra omnes Sanctos, ad quem conuertendæ erant omnes gentes, sicut reuera conuersæ sunt omnes præcipuæ nationes mundi hætenus cognitæ, & porro conuertentur, quæ recenter innotuerunt. Dum ait, montem eminere in vertice montium, indicat non sine violentia & labore patere aditum ad superandum eius culmen; fidemque Christianam coli & mandata diuina perfectè custodiri non posse, nisi vim naturali inclinationi inferamus. Dum autem addit, omnes gentes instar fluminum fluxuras ad eum, significat, qua facilitate & suauitate, nempe à diuina gratia impulsæ, sint montem conscensuræ.

Præter hæc nomina diuina Scriptu-

Ierem. 4.

ra tribuit mortificationi etiam appellationem spiritualis circumcissionis apud Ieremiam, dum ait: *Hæc dicit Dominus viro Iuda, & Hierusalem: Circumcidi ni Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, & habitatores Hierusalem.* In circumcissione abscindenda particula carnis penè superflua, & vitam humanam parùm necessaria, que fiebat tantum in lege veteri mandato Dei. At in mortificatione non solum à corde humano recluditur, quod est superfluum, sed etiam quod est quodammodo necessarium nec enim tantum homo per se priuat se illicitis, sed etiam hostis, & quasi necessarijs, ad id diuinitus & consilio pertractus. Hæc enim circumcissio est cordis & spiritus, cuius vt loquitur Apostolus, *Laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Hæc de nominibus Mortificationis sufficiant: restat vt afferamus rationes quibus efficaciter hoc exercitium nobis persuadeatur.

Rom. 8.

CAPVT III.

Quàm gratum sit Deo exercitium mortificationis.

MV